

ipse ponit in consilio 252. num. 24. & seq. ubi latissime. Adde quod dicit Bald. in l. 2. Cod. de appellat. quod si causa possessorii, in qua est prohibita appellatio, com-

mittatur appellatione remota, non poterit appellari in illis etiam casibus specialibus, quibus erat permessa. Sequitur Ruinus consil. 82. nu. 4. vol. 5. Roland. à Valle consil. 7. vol. 3.

184 Ex qua ratione dicunt Joseph. Ludov. decis. Perns. 24. Domina, n. 22. & 23. Joan. Baptist. Ponta tractatus de spolio lib. 4. cap. 3. sub num. 42. fol. 305. Negulantius de pigno. part. 8. memb. 1. num. 3. fol. 252. Pute. decis. 293. in causa Placent. sub num. 2. lib. 2. Contardus in l. unic. in ampliatio. nu. 131. Cod. si de moment. dicentes, quod statutum prohibens appellationem in possessorii, debet intelligi, ut illam prohibeat in casibus, quibus aliàs jure communi erat permessa, ne redderetur superfluum.

185 Et confirmatur, quia si clausula (appellatione remota) apponatur in rescripto possessorii, operatur, ut nullatenus appellatur, etiam ubi aliàs appellaretur in aliquo casu speciali. Ampliat autem naturam possessorii, & removet obstaculum, ut sic aliquid ultra jus commune operetur, Franch. in cap. pastoralis 53. num. 12. in fin. quest. 17. de appellat. Contard. ubi proxime in ampliatio. num. 134. licet aliter intelligat Scaccia de appellat. quest. 17. limit. 6. memb. 7. numero 114. & sequentibus, & iterum quest. 17. limit. 6. memb. 6. sub num. 24. & 25.

186 Et denique hoc idem probatur ex resolutione illius quaestiois, de qua per nos infra 3. part. cap. 4. & per Hieronym. Gonzal. de alternat. gloss. 6. n. 226. & supra, quod quando Ordinarius aliquem elegit ad Parochialem, cujus sententiam, seu iudicium aliqua justa causa non fuit exequutus, & postmodum iudex superior per appellationem ab altero oppositore aditus, eam revocavit. Sed tunc suam secundam sententiam, qua iussit alicui fieri collationem, possit executioni mittere appellatione ab ea interposita non obstante, quia per ratio in ista secunda sententia ad executionem viget, quae in prima, quando non est exequuta à primo iudice Ordinario, cui rectè conducunt quae late dixi infra 3. p. cap. 11. per totum. Vides igitur & in fortioribus terminis, prout est secunda sententia, quod appellatio non admittitur in Parochialibus emissa à sententia lata in contradictorio iudicio cum causa cognitione, & processu iudiciali, quia (ut inferius probavimus) appellatio postquam legitime intimata est, beneficium faceret litigiosum, & ita ista nostra sententia, & intelligentia ad Concilium Tridentinum, & morum proprium Pii V. communiter practicitur in supremis tribunalibus aditus per viam violentiae, ut si aliàs servata est forma praedicti decreti. Tridentini, motus proprii, aliarumque Canoniarum constitutionum, ordine non omisso, & iuridicè ab Ordinario processum esse inveniunt; vim nullam fieri appellationi huiusmodi non deferendo indistinctè declarant, & insuper pro huius quaestiois nostra resolutione vide quamplures doctrinas, & fundamenta adducta per Rotam, cujus decisio literaliter est apposta infra, 3. part. cap. 4. à num. 67.

Igitur in praedicta quaestione, & limitatione tres sunt deducendae conclusiones, cum aliis tribus declarationibus pariter deducendis ex resolutione à nobis tradita circa illam altercatam quaestioem, an quando prohibita est appellatio à causa principali censetur etiam prohibita à gravaminibus incidentibus, & emergentibus, de qua nos supra hoc 2. part. cap. 6. à numero 32. ubi late. Ex quibus facilius apparebit resolutio ad nonnulla dubia, circa hanc materiam in discursu agitanda.

187 Prima sit conclusio, si in provisione quorumcumque beneficiorum simplicium, puta, collatione, electio-

ne, praesentatione, institutione, seu confirmatione, proceditur sui primava natura retenta, hoc est, extrajudicialiter, appellationi ab his actibus, tanquam extrajudicialibus, emissa ab aliquo iudex non deferens, sed ea non obstante, ad executionem, & possessionis traditionem deveniat; vim non facit, quam probant Doctores superius citati.

Hanc conclusionem declara, seu extende, quod cum in his actibus appellatio unum habeat effectum, devolutivum scilicet, non suspensivum, pariter procedat, & habeat locum in his gravaminibus, quae accidere solent in discursu ipsius provisionis, etiam si de qualificatis sint qualificata; gravamina voco, quae vel habent vim diffinitivam, vel continent damnum irreparabile, vel praedjudicialia sunt principali negotio, secundum Concilium Tridentinum, & ea quae late in ejus explicationem concessimus supra hac 2. part. cap. 1. nam hoc casu prohibita appellatione in negotio principali etiam prohibita ab incidentibus articulis, probavimus late in dict. c. 6. num. 1. distinctionis membro dict. 2. part. à numero 42. cum sequentibus, quia accessorium sequitur naturam causae principalis, & quia articuli causae ejusdem naturae sunt, cujus est causa, & cum quid prohibetur, prohibetur censetur omne, per quod pervenitur ad aliud, de quibus per nos late in d. cap. 6. à n. 42.

Et illud magis praecipue urget, quia quando provisio est extrajudicialis, singuli ejus actus, & articuli de per se sunt necessariò extrajudiciales, & sic à nullo tanquam ab actu extrajudiciali appellatio emissa suspenditur, & hoc optimè probatur in duabus decisionibus Rotae, in declaratione secundae conclusionis infra adductae, in quibus ad iudicandam appellationem habere utrumque effectum, interpositam à quodam legitimo gravamine incidente in provisione cuiusdam beneficii simplicis, fuit necessarium, ut constaret, in provisione litem esse introductam, & iudicium formatum, vide infra à n. 192. ubi dictae decisiones adducuntur, & n. 215. & supra.

Secunda sit conclusio, generaliter ab omni provisione quorumcumque beneficiorum simplicium, in qua proceditur alterata sui primitiva natura, & sic judicialiter iudicii forma servata cum contradictore & causa cognitione: appellationi interpositae non deferens iudex, vim facere, declarandum, & possessionis traditionem, omniaque reponenda in eodem statu, quo erant tempore appellationis emissa, vel emittenda, quam comprobant Doctores supra in ista quaestione adducti.

Et istam conclusionem declara, quod cum à diffinitiva hoc in casu sit admissa appellatio quoad utrumque, minimè deneganda est ab incidentibus, seu emergentibus gravaminibus, quando, scilicet, sunt qualificata, vel quia vim habent diffinitivam, vel quia damnum continent irreparabile, vel praedjudicialia sunt causae principali, quemadmodum in ceteris causis; sedus autem quando qualificata non sint, secundum Concilium Tridentinum sessio 24. de reformatione cap. 20. textus in leg. 2. ff. de appellat. recip. leg. ante sententiam, C. quorum appellat. non recipit. & quae late concessimus supra hac 2. part. cap. 1. Et hanc declarationem probant duae Rotae decisiones, altera 265. libro 3. part. 3. divers. altera verò 227. part. 3. libro 2. divers. ubi appellatio ab incidenti gravamine, nempe; injusta denegatione termini petiti à quodam oppositore cuidam Capellaniae, & sic beneficio simplici, & sic emissa à quodam gravamine irreparabili, & justa, ac legitima in Rota fuit iudicata appellatio, habens utrumque effectum, inquisito & consulto prius quod praefata appellatio esset judicialis, quia erat provisionis processus judicialiter inchoatus, & lis introducta, cum esset edictum propositum, & facta oppositio, & opposita legitima executione, quia erat in proxi-

proximiori gradu consanguineus ad Capellaniam, allegando ad hoc Lambert. de iure patronatus, articulo 9. quaestione 4. princip. quem nos in id multis in locis superius citavimus, de quibus decisionibus mox est tractandum.

Tertia sit conclusio, à provisione Parochialium, sive judicialiter, sive extrajudicialiter procedatur; appellationi emissa iudex non deferens, sed executioni sententiam mittens, vim nullam facit, cum hoc casu appellatio non suspendat, ex dict. Trid. motu proprio, & Doctoribus supra, & ex infra dicendis.

194 Hanc conclusionem declara pariter, quo prima conclusione, ut cum sit prohibita appellatio, non quoad utrumque effectum, sed suspensivum duntaxat, (ut mox apparebit) minimè admittenda est ab incidentibus, & emergentibus in ipsa provisione, sive judicialis sit sive extrajudicialis, ex his, quae resolvimus supra hac 2. p. cap. 6. à num. 1. distinctionis membro dict. 2. part. à numero 42. cum sequentibus, quia accessorium sequitur naturam causae principalis, & quia articuli causae ejusdem naturae sunt, cujus est causa, & cum quid prohibetur, prohibetur censetur omne, per quod pervenitur ad aliud, de quibus per nos late in d. cap. 6. à n. 42.

195 His sic propositis & declaratis conclusionibus, facillimè devenies in cognitionem difficultatum, quae circa hanc materiam accidunt, quarum nonnullas in specie resolvam. Et primitus ex his, quae in hac tertia conclusione cum declaratione diximus, cavendum est omnino à Hieronym. Gonzal. nu. 223. & 224. quem similiter reprobando civitati supra 2. part. cap. 6. à n. 70. dum dicit, loquendo in Parochialibus, quod licet in eis non appelletur, poterit appellari à denegatione termini ad probandum, non admissione articulorum, & similibus gravaminibus incidentibus in causa, motus ex doctrina aliquorum Doctorum tenentium prohibita appellatione in causa principali sic censeri prohibitam in incidente, à me cum aliis in d. cap. 6. hac 2. part. ad num. 70. & supra adductis, quos ibi procedere & intelligi dixi, quando appellatio in principali prohibetur quoad utrumque effectum, aliqui verò loquuntur in terminis aliquarum limitationum, quae communes sunt omnibus negotiis, & causis à jure privilegiatis, respectu suspensivi effectus, quas ibi probavimus, scilicet in interlocutoria super legitimatione personarum, in ordinato processu, in defectu jurisdictionis seu aliorum defectuum, & nullitatum, & aliis, quibus casibus permittam esse appellationem quoad utrumque, diximus, etiam si à principali causa prohibita sit quoad unum devolutivum, nempe, ex nonnullis ex his Doctoribus, quos ipse Gonzalez citat absolute, & indistinctè qui omnino est reducendus ad terminos huius conclusionis cum declaratione, ut etiam latius adnotavi jam in d. cap. 6. hac 2. p. ad n. 70. & sursum per multos numeros.

196 Illud etiam libet declarare, in quo nimis variè & confusè loquutum fuisse Nicolaum Garciam reperio, quomodo negata intelligatur, vel permessa appellatio à relatione examinatorum, & electione Episcopi ad Parochialem, in quo Nicol. Garcia de beneficiis 2. tom. 9. part. cap. 2. nu. 240. 242. & 246. hoc divisit in duas partes, scilicet in reprobatione, seu quavis alia relatione examinatorum, ut in illa sit per consilium prohibita appellatio quoad utrumque effectum devoluti-

vum, suspensivum simul, ut ex dict. num. 242. constat, & repetit iterum in num. 252. prope finem, & in mala electione Ordinarii, quod in illa appellatio quoad unum tantum, suspensivum effectum, & prohibita, de quo in dict. num. 246. quibus ita declarat, quod antea num. 239. dixerat absolute, à reprobatione examinatorum non dari appellationem, à mala autem Ordinarii electione dari.

Sed ut tibi clarior iste articulus liqueat, suppono 197 quod Concilium Tridentinum dict. sessione 24. de reformatione cap. 18. dum formam assignat Parochialium provisionibus, ita dicit post medium (nec praedictorum examinatorum, quominus executionem habeat, nulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, &c. impediatur aut suspendatur, &c.) & in constitutione motu proprio Pii V. post medium ita legitur (quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis legerit, possint hi, qui reiecti fuerint, & mala electione huiusmodi ad metropolitanam, &c. vel si ipse eligens metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorum Ordinarium, uti nostrum, & Sedis huiusmodi delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, &c.)

Sequitur & facit (haec tamen appellatio interposita interim non impediatur, an suspendatur, quominus electio per Ordinarium primo loco facta, interim debite mandatur executioni, & provisus ab eadem Ecclesia causa appellationis huiusmodi pendente, non amoveatur, &c.) Ecce igitur quanta haec jura claritate procedunt in amovenda appellatione in provisionibus Parochialium, ut scilicet relatio quaelibet sive reprobanda, sive approbanda, examinatorum Synodalia, quam faciunt Ordinarii, ejusque arbitraria electio mandatur executioni; huius virtute possessio, Parochialis tradatur; quam nulla appellatio impedit, nec suspendit. Ex quo evidenter colligitur, & apparet, solum suspensivum effectum esse in huiusmodi appellationibus sublatum, ita comprobant Flamin. Paris. de resig. beneficii lib. 3. quest. 9. num. 104. Cuchus de re Ecclesiast. cap. 27. de Parocho num. 6. & 7. Marc. Anton. Genuesi. in prax. Archiepiscop. cap. 65. num. 5. Zerola in practico. Episcop. 1. part. 1. verbo Parochia §. 2. dub. 8. Hieronym. Gonzal. de men. alter. glossa 6. n. 163. & idem in glossa, in annotat. nu. 209. dicens ibi, ita pluries censuisse sacrum Concilium Tridentinum Congregationem, ex quibus patet vim habere appellatio à reprobatione, quam ab electione, virtute ejus facta ab Ordinario, Joan. Hieron. Campanill. divers. jur. canon. rubrica 11. c. 11. c. 13. n. 476. post medium.

Et ita minus rectè loquutum fuisse Nicolaum Garciam supra; in distinguendo hos casus, apparet, qui convincitur tam ex D. Doctoribus, quam ex duabus 199 Rotae decisionibus, interpretum Concilii Tridentini congestis à Farinacio 4. part. quarum altera est 23. in ordine edicta 4. Maii 1592. quae sic ait. Congregatio Concilii censuit, à reprobatione examinatorum dari appellationem ad effectum devolutivum à die scientiae, altera 256. in ordine, die 7. Augusti 1600. in hac verba. (Congregatio Concilii censuit, à reprobatione examinatorum, qui aliquem ex concurrentibus ad Parochialem Ecclesiam vacantem, minus idoneum renuntiarunt; dari appellationem ad effectum devolutivum, non autem suspensivum) ergo à reprobatione examinatorum non est prohibita appellatio quoad utrumque, ut perperam intellexit Nicolaus Garcia supra dict. num. 242.

Est desuper advertendum, quod cum in Parochialibus, non detur appellatio suspensiva, sed devolutiva duntaxat, provisus in possessionem missus interim pendente dicta appellatione coram superioribus ab ea amovendus non est, juxta dictam constitutionem Pii V. supra relata, & notant Zerola, Cech. Genuesi.



Gonzal. ubi supra, & Nicolaus Garcia num. 246. & idem dicens declaratio Concilii in dict. c. 18. super verb. poterit Ordinarius versio. si Episcopus minus habilem, & versiculo sequenti, pro quo facit elegans Rotæ decisio omnino videnda, quam adduxi infra 3. part. cap. 4. à num. 76. usque ad finem, num. 88. etiam si à iudice appellationis contra ipsum sententia lata sit, qua iste revocatur primam, & iudicium ordinarii, adhuc ista secunda non est executioni demandanda, nec ejus virtute amovendus possessor pendente appellatione, ab hac secunda sententia interposita per ipsum emissa, sed sunt expectandæ executiones eisdem authoribus, & Gutierrez lib. 2. canon. question. cap. 11. num. 25. & pract. question. lib. 1. quest. 146. & nos hanc latius & aliàs similes infra 3. part. commodiori loco examinabimus, nempe in cap. 4. & ita in terminis pluribus comprobans fundamentaliter determinavit Rota, ut testatur Far. decis. 537. tom. 2. 1. p. fol. 98. quam vide ad literam, d. cap. 4. num. 57.

202 Quibus proximum est, querere; an examinatus deputatis ad concursum Parochialis in relatione discordantibus, appellatio ab electione Episcopi habeat utrumque effectum, ita ut impediatur provisio beneficii possessionem. In quo partem affirmativam amplexus est Hieron. Gonzal. d. gloss. 9. n. 209. ad fin. motus ex sententia Sanctæ Congregationis, & per Flaminium Paris. de refig. l. 8. q. 9. n. 104.

Sed contrariam, eodem modo hujusmodi appellationem suspensivam carere, veriore existimo, quoniam 203 Flamin. Paris. illud ait dumtaxat, in una Vicentina fuisse resolutum, in congregatione Concilii pridie Kalendas Septembris 1570. quod datur appellatio à mala electione, quam fecit Episcopus, quoties examinatos sunt discordes. Quod non sine magna difficultate potest pro sua opinione Gonzal. inducere, siquidem prædicta Congregatio idem, quod motus proprius, sentit, quo disponitur; ut quomodocumque detegatur mala electio ordinarii, appellatio detur, quod intelligitur de devolutiva, ut supra diximus, ita etiam ex eodem motu proprio dicit Joan. Hieronymus Campanill. divers. jur. canon. rubrica 11. cap. 13. num. 476. ad finem, dari ab Episcopi electione in Parochialibus appellationem, sed postmodum dicit intelligendam quoad devolutivum tantum, & hoc etiam loquendi modo utuntur præfata Rotæ decisiones Farinacii supra relatæ, num. 199. ibi, (à reprobatione dari appellationem,) quod devolutiva ibi declaratur, & sic præfata sententia Congregationis, ex quo aliud non aperit; debet de devolutiva intelligi, non de suspensiva, & referri ad mentem juris, quam ita intelligendo aliis rationibus adductis hanc partem contra Gonzal. defendit Nicolaus Garcia dict. 9. part. cap. 2. sub numero 247.

Imò potius inter examinatos discordes potissimum est arbitrium Ordinarii, ut videre est ex his quæ ipse 204 Garcia ibi, sub numer. 252. versio. cum autem ipsorum vota &c. non enim in culpa est ordinarius, si discordant, sed ex relatione sibi à quolibet facta, quod sibi 205 sanctius sit, & rectius visum fuerit, arbitrabitur; si enim teneretur spectare concordiam eorum, perpetua foret Parochialis vocatio, in maximum animarum, & divini cultus dispendium, & periculum, ut diximus supra, & vix provideret beneficium aliquod cum spectans laboraret terminus sex mensium, datus ad perficiendum concursum, vel quatuor in reservatis ad significandum intra illos Romano Pontifici, juxta constitutionem in conferendis, d. Pii V. & sic provisiones passim ac quotidie devolverentur.

206 Deinde disputatur, an dispositio Tridentin. d. cap. 18. & motus proprii, dum prohibent appellationem suspensivam à reprobatione examinatorum in Parochialibus, locum etiam habeat in Parochiali juris patro-

natus laicorum, quando unus solus ad eandem est à patronis præsentatus, quo casu non habet locum concursus, ut alibi dicitur, an si iste reprobatus sit ab examinatore, possit ab hujusmodi reprobatione appellare quoad utrumque, ita ut appellatio causet attentata. In quo partem affirmativam, scilicet, utrumque effectum operari, magis me movet: quia iste ex præsentatione jus habet acquisitum ad Parochialem; & appellatio ab eo recipienda, sicut in habente gratiam informativam ad Parochialem, qui si reproberetur, & appellaverit, appellatio suspendit, ut probat Garcia de beneficiis 6. part. cap. 2. numero 76. Et quoniam in 207 appellatione ab uno dumtaxat præsentato, & reprobatum non viget ratio impeditiva, Concilii, & motus proprii disponentium, appellationem à relatione non impedituram executionem, & possessionis traditionem provisio, quia cum nullus alter est in examine, nullus est provisus, & electus, nulli impeditur executio, imò ipsa reprobatio, cum sit actus negativus, secum trahit executionem ex his quæ Iff. & ceteri in leg. quod jussit, ff. de re judicata, & omnes in cap. cum cessante, de appellat. ac ideo nihil mirum, ut jus, quod habet ad Parochialem per suos & legitimos tramites consequatur, & pro hac doctrina faciunt plurimæ aliæ, de quibus nos supra 1. part. cap. 6. à num. 33. & 3. part. cap. 13. à num. 74.

Et hæc opinio placet pariter Gonzal. in dicta gloss. 6. 208 annotation. num. 187. ubi testatur de Rotæ decisione ipso patrocinante, in qua fuit judicatum, talem appellationem causale attentatam, eandem etiam sequitur Nicolaus Garcia de beneficiis dict. 9. part. cap. 2. num. 245. & sic tenendam, videtur ex horum Doctorum & Rotæ autoritate, pro quo conducunt quæ nos latissime congestimus dict. 1. part. cap. 6. à num. 33. & 3. part. cap. 13. à num. 74. & seqq.

Quid autem si in provisione harum Parochialium 209 peccatum sit in forma, in Concilio Tridentino, & motu proprio descripta, vel quia jus patronatus contemptum fuit, vel quia alias in processu intervenit aliqua nullitas, an iudex vim faciat, non deferendo appellationi tunc emissæ, à sententia vel provisione? In quo affirmativè resolvo, quia nulla provisio profectæ, habetur, & ideo nullam executionem meretur, juxta l. 4. §. condemnatum, ff. de re judic. & hanc limitationem extendere etiam, & intelligi in beneficiis simplicibus ex identitate rationis, de quo nos latius egimus infra 3. part. cap. 9. & ideo hic omitto, quia copiosè ibi tractatur, quibus casibus nulla reddatur provisio tam in simplicibus, quam in curatis, ut tunc appellatio legitima reputetur.

Nunc de aliis violentiis, quæ in appellationibus à 210 beneficiis simplicibus accidunt tractemus; & imprimis an committatur ab ordinario non deferente interpositæ ab eo, qui ad examen vocatur. Et breviter respondetur, in hoc casu nullam vim esse, siquidem præsentati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmantur, nec admittantur etiam prætextu cujusvis privilegii, aut consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ, nisi fuerint, prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reperti, & nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Ita disponendo decrevit secum Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 13. & obiter Nicolaus Garcia de beneficiis 9. part. cap. 2. n. 243. quod etiam intelligi in Curatis, ex verbis Concilii ibi (ad quævis Ecclesiastica beneficia) & vide Cardinalium declarationem ibi circa v. instituantur, &c.

Cæterum dubitatur, an à reprobatione examinatorum in beneficiis simplicibus appellationi emissæ sit deferendum, tanquam suspensivum habenti. In quo

Garcia supra num. 244. referens Gonzal. absolute dicit sine distinctione appellationem utrumque habere effectum. Sed Gonzal. in d. gloss. 9. nu. 184. cum seqq. non magis in genere locutus est, siquidem cum decisione Rotæ 10. n. part. 2. divers. ait, quod datur appellatio à mala relatione, & gravamine examinatorum in non approbando aliquem ex oppositoribus ad beneficium 212 patrimoniale, & ad Tridentinum sessione 24. de reform. dict. cap. 18. versicula nec prædictorum examinatorum, &c. respondet, prædicta decisio, ut procedat in parochialibus, non autem in beneficiis simplicibus patrimonialibus, quæ remanent sub dispositione juris communis, & ideo nos, ut ab eo non recedamus, de quo in prima & secunda conclusione supra ad quos omnino hanc doctrinam reducere, & intelligere debemus, ut admittatur quoad utrumque, quando provisio judicialiter, & in contradictorio judicio sit, prout frequentius solent hujusmodi patrimonialia beneficia provideri, ob varias filiorum objectiones, exceptiones, & contradictiones in jus deductas, aut quoad unum & devolutivum dumtaxat effectum: quando extrajudicialiter proceditur, juxta d. cap. constitutio el. 2. de appell. & alia, quæ ad primam conclusionem adduximus, quia 213 examen sui natura est actus extrajudicialis, ut in princ. hujus capituli latè probatum est n. 3. & n. 6.

Sicut alias ipse Hieronymus Gonzal. ibi. num. à 80. nimis absolute, & in genere dixit; admitti appellationem, & tamen decisio, quam allegat, limitatè procedit.

214 Siquidem dicit ipse, quod si tempore vacationis unus ex filiis patrimonialibus esset absens in longinquis partibus, Curia vel quovis alio loco remoto, ejus procurator, cujus nomine se opposuit, peteret seclusa fraudem terminum, dilationem competentem ad certiorandum d. absentem, ut accedere possit personaliter ad examen in casu, quod ordinarius vel nolit, vel non possit remittere examen ad locum, quo absens degebat, aliàs appellabit: dictus ordinarius denegando expressè vel tacite ad ulteriora procedat, quod omnia gesta post d. appellationem esset attentata, & nulla, prout resolutum est in una Capellanæ Conchenf. 18. Octobris 1596. n. 1. 2. & 3. & per totam lib. 3. p. 3. divers.

in qua decisione ideo illa appellatio fecit attentata, in provisione illius simplicis Capellanæ, quoniam repetere Domini de Rota, in secundo casu fuisse litem formatam tempore appellationis, & litem ceptam & introductam, & simul à legitimo gravamine præjudiciali & irreparabili, ut expressè constat ex d. decisione. Quod iterum dixit Rota in alia decisione 227. part. 3. lib. 2. vers. cujus non meminit Gonzal. ibi, qui quidem tacuit causam essentialiam, quæ reddidit illius simplicis beneficii provisionem appellabilem, & eundem ibi cautè legas à num. 175. cum seqq. quia loquitur in beneficiis simplicibus, ut constat ex Doctoribus ab eo citatis, & declarat ipsemet ibi n. 184. & seqq. excepto n. 187. quia ibi loquitur in parochiali speciali ratione, de qua nos supra, & n. 183. quod potest etiam in parochiali intelligi, ut inferius latius.

216 Dubitatur insuper, si is qui semel suo beneficio, aut præbendæ renuntiavit, & ob suam nimiam peritiam, putat; maximamque Ecclesiæ utilitatem, vel aliam demum justam causam moventem electorem; iterum velit ad illud, seu illam eligere; an possit appellari, quominus eligatur. Pro cujus resolutione breviter suppono quod licet renuntians suo beneficio non possit ad illud redire, repetere, nec regressus dari, Craveta conf. 511. n. 4. & conf. 856. n. 12. conf. 959. n. 1. Jacobus Ermil. conf. 82. numero 1. & sequentibus, & conf. 100. num. 4. & conf. 21. num. 9. 11. 12. Gigas conf. 20. n. 10. Menoch. conf. 187. num. 87. volum. 2. Nava. in cap. accepta oppositioe 7. n. 10. cum seqq. de restit. spolia. Car. Paris. conf. 69. tit. 21. num. 13. idem Paris. conf. 5. nu. 165. volum. 4. Rebuff. conf. 36. n. 12. Cephal. conf. 37.

Salgado de Protect. Reg.

num. 56. & conf. 284. num. 6. & conf. 192. num. 16. & conf. 127. nu. 17. Grab. conf. 127. nu. 6. vol. 1. Socinus junior conf. 94. n. 31. conf. 129. n. 1. volum. 3. renuntiantibus siquidem actiones suas, non est dandus, ad illas 218 regressus. cap. ille 23. quest. 4. l. 1. §. qui semel ff. de successorio edicto. l. postquam. Cod. de pactis l. queritur. §. si venditor, ff. de edificio edicto. cap. si quis Episcopus. dist. 92. cap. dudum 18. q. ult. cap. deniq. 6. quest. 3.

Aded ut renuntians electioni de se factæ non potest 219 appellare, quominus electores de novo alium eligant ad illud beneficium, cum justissime possint, nec sic appellans auditur, text. est in c. cum inter R. 16. in ordine de elect. ibi. Nos attendentes, quod ex consensu compositionis receptæ jas, si quod sibi competierat R. Senior amiserat, ac per hoc, ne Monachi ad electionem procederent, de jure minime appellare potuisset, cum nisi quorum interest, audiri non solent appellantes, appellationem illam diximus legitimam non fuisse, unde per eam electio non potuit impediri, &c. Flam. Paris. in resignatione benef. lib. 1. q. 13. n. 20.

Tamen si electores velint iterum eligere ad 220 beneficium semel renuntiatum, aliqua causa moti, bene poterunt, ut docet Ancharr. communiter receptus in d. c. cum inter Ro. num. 1. de electione, cum inter non prohibeatur, argumento l. illam C. de collationib. aded ut ipse non possit appellare, quominus de novo iterum eligatur: Ancharr. dict. cap. cum inter Ro. d. num. 1. ubi etiam alii, & ut valde notabile dicit, & reputat Flamin. Paris. loco proxime citato nu. 21. & 22. & n. 23. dicit 221 cum Ancharra in cap. per suas nu. 4. & 5. loco citato, quod si contigerit eundem de novo eligi, post huic secundæ electioni consentire.

Et præfata doctrina maxime procedit, cum ille sic 222 renuntians possit beneficium resignatum habere, & repetere ex nova causa accedente, prout si data vacatione potest se iterum de novo opponi, ad illud præsentari, eligi ex nova postulatione, confirmatione, seu collatione, glossa communiter recepta in cap. ad nostram el. 2. verbo præbentem, versiculo si enim aliquod de jurejur. Doctores in cap. 2. de renunt. ubi Abb. 1. 2. notat Anton. de Butrio num. 4. quod ita quotidie praticari, affirmat Flamin. Paris. d. cap. 13. n. 43. & seqq. qui n. 51. cum pluribus aliis hoc limitat, ut non procedat in renuntiantem ob crimen aliquod, quod nota, quia de jure satis probabile est.

His & proximum est, querere, an appellatio emissa 223 à sententia, qua Canonice, vel alius elector, suspenditur à voce activa, & passiva, utrumque habeat effectum, ita ut ea pendente, possit Capitulum, seu Collegium ingredi; ibidemque suum suffragium præstare; in quo negativa pars videtur probari, ex cap. 15. is cui, §. fin. de sententia excommunic. lib. 6. ubi sicut excommunicatio, sic ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius suspensio per appellationem subsequenter, minime suspenduntur, &c. & idem probatur in cap. ad hac quoniam, de appellat.

Sed contrariam sententiam verissimam esse de jure, 224 rectè defendit Manuel. Rodrig. in quest. regul. 1. tom. 1. quest. 29. art. 5. & melius hinc inde multa adducens fundamenta, insignis Navar. conf. 8. per totum, lib. 1. fol. 29. & 30. qui respondent ad præfata jura, quod illa sola suspensio effectum habeat, eam non obstante appellatione, cujus violatio inducit irregularitatem, ex mente d. c. is cui, & c. is qui, junctis glossis, at sola violatio suspensionis ab officio divino, & sacramentis, dumtaxat facit quem irregularem, cujus naturæ hæc nostra à voce activa & passiva non est secundum glossam communiter receptam in dict. §. fin. dict. c. ad hac quæ gloss. relatis Innoc. & Hostiens. concludit prædictum §. non habere locum à beneficio, vel perceptione fructuum, quæ pœna major est, quam suspensio à voce activa & passiva, quia ut dicit gloss. illam §. non procedere, nisi in